

RITUS,

ET

CÆREMONIÆ

SERVANDÆ

IN SOLEMNI CELEBRATIONE

MATRIMONII

INTER REGIAM CELSITUDINEM

SERENISSIMI

JOSEPHI

REGII HUNGARIÆ, AC BOHEMIÆ
PRINCIPIS HÆREDITARII,
ET AUSTRIÆ ARCHIDUCIS,

NECNON

REGIAM CELSITUDINEM

SERENISSIMÆ

ISABELLÆ

BORBONIÆ

REGIÆ HISPANIARUM INFANTIS,
AC PARMÆ PRINCIPISSÆ

CORAM

Illustrissimo, ac Reverendissimo D. D.

PETRO CRISTIANI

PLACENTIÆ EPISCOPO, ET COMITE,

IN CATHEDRALI PARMÆ.



Cum pervenerit Episcopus ante gradus Altaris in cornu Epistolæ, reverentiam faciet cum Mitra Supremo Principi, necnon Regiæ Sponsæ, ac Principi Procuratori, postea Altari in medio: tum, deposita Mitra, ascendet ad Altare, illud in medio osculabitur, & iterum accepta Mitra expectabit in cornu Epistolæ versus ad Principes, dum Regia Sponsa, ac Princeps Procurator pervenerint ante gradus Altaris, ad quos statim conversus, Eos cum Mitra iterum salutabit. Statim legetur Mandatum Procuræ, & Dispensatio Apostolica.

Tum vero, ſtante ibidem utroque Contrahente, Epiſcopus, accedente Miniſtro cum Libro, & alio cum Candela, interrogabit Principem Procuratorem his verbis:



Elſiſſime Princeps WENCESLAE de Liechtenſtein, vis Tu tamquam Procurator Regiæ Celſitudinis Sereniſſimi JOSEPHI Hungariæ, ac Bohemiæ Regii Principis Hæreditarii, atque Auſtriæ Archiducis, & Ejus Nomine deſponſare, & pro Eo ducere in Uxorem Regiam Celſitudinem Sereniſſimam ISABELLAM Borboniam Regiam Hiſpaniarum Infantem, ac Par-

mæ Prin-

mæ Principiſſam hic præſentem, & promittis, quod dictus Sereniſſimus JOSEPHUS Regius Princeps Hæreditarius, & Auſtriæ Archidux Illam tamquam Sponſam, & Uxorem tenebit, & tractabit, ſecundum id, quod diſponit, & mandat Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia?

Princeps Procurator reſpondebit:

Volo, & ita promitto.

Deinde Epiſcopus interrogabit Regiam Celſitudinem Sereniſſimam Principiſſam Iſabellam his verbis:



Egia Celſitudo Sereniſſima ISABELLA Borbonia, Regia Hiſpaniarum Infans, ac Parmæ Principiſſa, visne Regiam Celſitudinem Sereniſsimum JOSEPHUM Hungariæ, ac Bohemiæ Regium Principem Hæreditarium, atque Auſtriæ Archiducem abſentem in tuum legitimum Sponſum, & Maritum, & Ejus nomine deſponſari a Celſiſſimo Principe Wenceslao de Liechtenſtein hic præſente, & promittis tenere, & tractare dictum Sereniſſimum JOSEPHUM Regium Principem Hæreditarium, & Auſtriæ Archiducem pro tuo legitimo Sponſo, & Marito,

ſecundum id, quod diſponit, & mandat Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia?

Regia Principiſſa antequam reſpondeat, facit reverentiam Regio Genitori, deinde dicit:

Volo, & ita promitto.

Epiſcopus vero ſubdit:

Ita Vos ego conjungo in Matrimonium, in Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Interim duo Acolythi accedent in parte Epiſtolæ ad Epiſcopum, unus deferens ſuper bacili Annulos benedicendos, & alius deferens Vas cum Aqua benedicta, & Aſperſorio, & genuflectent ante Epiſcopum, qui ſe retrahens ad idem cornu Epiſtolæ, & ſtans aliquantulum converſus ad Crucem Altaris, depoſita Mitra, benedicet Annulos dicens:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

ORE-

OREMUS.

BEnedic, Domine, hos Annulos, Fidei conjugalis ſignum, quos in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti bene ✠ dicimus, ut qui eis conjuncti deſignantur, in tua pace conſiſtant, & in tua voluntate permaneant, & in tuo amore vivant, ac ſeneſcant, & multiplicentur in longitudine dierum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Qua oratione finita, Epiſcopus, accepto Aſperſorio de manu Presbyteri Aſſiſtentis, Annulos Aqua benedicta aſperget ter, dicens Antiph. Aſperges me. *Deinde reddito Aſperſorio, & accepta Mi-*

tra, accipiet de manu Presbyteri Assistentis alterum ex Annulis benedictis, quem tradet Principi Procuratori, qui illum ponet super bacili sibi per aliquem Virum Nobilem oblato, atque super eodem bacili porriget Regiæ Principissæ, quæ illum sibimet imponet in digito annulari sinistræ manus, Episcopo vertente renes Cruci Altaris, & dicente:

Annulo suo subarrhet Te Dominus Jesus Christus, & tanquam Sponsam decoret Te Corona. ℟. Amen.

Alterum vero Annulum servabit apud se Episcopus tradendum postea Regiæ Sponsæ.

Tum

Tum vero depoſita Mitra ſubjunget Epiſcopus ſtans ibidem verſus ad Contrahentes:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A Templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter. *ſecreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in Te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui tam excellenti Myſterio conjugalem copulam conſecraſti, ut Chriſti, & Eccleſiæ Sacramenta præſignares in fœdere Nuptiarum, præſta, quæſumus, ut quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione impleatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

ORE-

OREMUS.

Respice, quæsumus Domine, super Famulos tuos JOSEPH, & ISABELLAM Regios Principes, & Archiduces; & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut qui Te Auctore junguntur, Te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Tunc Episcopus assumpta Mitra, & Baculo Pastorali eos benedicat, dicens:

Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super

JOSE-

JOSEPHUM Auſtriacum, & ISABELLAM Borboniam ejus Uxorem.

℟. Amen.

Deinde ſubdat Epiſcopus:

Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.


Et Baculo depoſito, & accepto Aſperſorio Contrahentes aſpergat Aqua benedicta.

Deinde per Notarium recitatur Inſtrumentum, ſtantibus Regiis Principibus. Quo finito, genuflectunt; & Epiſcopus dat Benedictionem Epiſcopalem: Sit nomen Domini benedictum &c.

Tum ſubdit verſus ad Regiam Sponſam:

Regia Celſitudo Veſtra vadat in pace.

Subinde Regia Sponſa ſimul cum Principe Procuratore facta Altari profunda reverentia, ad ſuum divertent genuflexorium, ubi aliquantulum orabunt; & comitati ab Epiſcopo &c. diſcedent.



PARMÆ CIƆIƆCCLX.

EX REG. DUC. TYPOGRAPHIA MONTIANA.

